

JOANNIS DUNS SCOTI

DOCTORIS SUBTILIS, ORDINIS MINORUM,

OPERA OMNIA

EDITIO NOVA

JUXTA EDITIONEM WADDINGI XII TOMOS CONTINENTEM A PATRIBUS FRANCISCANIS
DE OBSERVANTIA ACCURATE RECOGNITA

TOMUS VIGESIMUS PRIMUS

QUÆSTIONES IN QUARTUM LIBRUM SENTENTIARUM
a distinctione quadragesima nona usque ad quinquagesimam.



PHILOSOPH. SEMINAR. ART. 6
DER UNIVERSITÄT BONN
Am Hof 1, D-5300 BONN 1

269/88 M

PARISIIS

APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM EDITOREM

VIA VULGO DICTA DELAMBRE, 13

MDCCCXCIV

DIST. XLIX. QUÆSTIO VIII.

303

ergo magis præmiatur in actu,
et hoc est congruum.

Miseria
non est es-
sentialiter
pœna.

Et si dicas quod miseria est es-
sentialiter pœna, ergo beatitudo
est essentialiter gaudium; dico,
quod miseria non est essentialiter
pœna; imo pœna dirimit miseriam
inquantum ordinat culpam, quæ
culpa est miseria essentialiter; et
si dicatur quod pœna sequatur mi-
seriam, dico quod verum est, un-
de maxima pœna proprie est mise-
ria, quæ est culpa.

COMMENTARIUS.

147.
Resolutio
Doctoris.

(c) Dico ergo quod stricte, etc. Hæc
est resolutio hujus quæstionis, et con-
clusio intenta consistit in duobus, nempe
ad essentiam beatitudinis stricte sumptæ
non pertinere delectationem, quia bea-
tutudo sic sumpta consistit in operatione,
per quam potentia operando attingit
objectum beatificum. Alio modo sumitur
beatitudo pro omni eo quod voluntatem
passive se habentem perficit in statu
beatitudinis, et sic delectatio et gaudium
spectant ad beatitudinem integre et sub-
stantialiter sumptam, et connaturaliter
sequitur ad beatitudinem primo modo
sumptam. Ad rationes autem tam princi-
pales quam pro opinione, patet ex littera
et dictis. Notanda est illa interpretatio
illius principii Aristotelici, quod sæpius
in superioribus replicavit, nempe poste-
riora generatione esse perfectiora.

Posteriora
generatio-
ne
esse
perfectior.

Respondet, quando est processus in
eodem genere, id esse verum; quando
vero in diverso, non esse verum. Primum
patet in generatione viventium, ubi pro-
cessus est ad formam substantialem; se-
cundum vero in processu ad formam
accidentalem substantiali producta.

Si rationem quæras hujus discriminis?

Respondetur reduci ad hoc, quod natura
in processu ad esse simpliciter intendit
quod est perfectissimum, ad quod attingit,
procedendo de potentia ad actum, et ideo
per imperfectiora gradatim attingit finem,
quo posito, cessat. Sed e contra proce-
dendo de esse simpliciter ad perfectiones
ejus secundarias, illud quod immediatius
se habet ad ipsum esse simpliciter, est
perfectius, quam illud quod remotius
est.

Ratio ex-
plicationis.

QUÆSTIO VIII

Utrum natura humana sit natura infima
capax beatitudinis?

Bassol. hic quæst. 5, art. 1. et 2. Gabr. quæst. 1.
art. 3. dub. 2. Niphus 2. Met. dist. 3. cap. 4.
Vasq. 1. 2. disp. 20. cap. 2. Vide Scot. 5. Met.
quæst. 1.

(d) Utrum natura humana sit
natura infima capax beatitudinis?
Videtur quod non, anima humana
est capax beatitudinis; sed ipsa est
inferior homine; ergo, etc.

1.
Arg. 1.

Præterea, in quibus est ordo
essentialis, sic se habent quod il-
lud quod est immediatius ultimo,
immediatius attingit ipsum, et alia
mediate illo. Sed Angelus imme-
diatius se habet ad finem, quam ho-
mo; ergo homo mediante Angelo
attingit finem; ergo non est imme-
diata beatificabilis.

Arg. 2.

Præterea, videtur quod etiam
aliæ naturæ inferiores sunt beati-
tudinis capaces, quia illæ naturæ
etiam ultimate quietantur, quia si
non, ergo violenter tenerentur, et
tunc esset violentia perpetua; sed
non possunt quietari ultimate nisi
in ultimo fine; ergo, etc.

Arg. 3.

Arg. 4. Præterea, causæ primæ universalissimæ respondet finis ultimus universalissimus. Sed Deus est causa efficiens immediata omnium; ergo erit finis immediatus omnium; ergo, etc.

Ratio opposit. Contra, Augustinus 14. de Trinitate, cap. 18. eo ipso anima imago Dei est, quo ipsius capax potest esse, et per hoc probat quod homo possit beatificari; sed quod ipse sit infimum beatificabile, probatur; omnis natura inferior homine operatur omnem operationem suam per organum; ergo non circa objectum immateriale, sed solum in illo objecto, quod per operationem non organicam attingitur, est beatitudo objective; ergo, etc.

COMMENTARIUS.

1. (d) *Utrum natura humana sit, etc.*
In hac questione sub præmisso titulo disserit duo: Primum est, an ratione naturali possit probari possibilitas beatitudinis in specie, quæ est per visionem Dei. Secundo disserit de beatitudine naturæ humanæ, ut est diversa a beatitudine, quæ est secundum *quid*, et ultima perfectio in entibus inferioribus homine.

Ordo et divisio
questionis.

SCHOLIUM.

Ostendit ex Scriptura naturam humanam esse beatificabilem vera beatitudine, quam speramus. Ponit sententiam Philosophi, qui videtur negare nobis possibilem aliam notitiam de prima substantia, præter obscuram, abstractivam, et ex sensibilibus habitam.

2. (e) Respondeo, primo videndum est, quod natura humana est be-

atificabilis. Secundo, quod nulla natura inferior. Primum planum est ex Scriptura, *primæ ad Corinth, tertio decimo, et primæ Joan. tertio, et melius Apoc. 22. Videbunt faciem ejus.* Præterea, *Matth. 22. Erunt sicut Angeli Dei in cælo.*

Sed quid dicunt philosophi ad hoc? Philosophus *primò Ethicorum*, dicit in generali de felicitate, et in *decimo Ethicorum*, in speciali, quomodo est possibilis, et in quo consistit. Sed quid sensit de illa speciali beatitudine, quam nos expectamus, quæ est per claram Dei visionem et fruitionem? Videtur dicere Philosophus quod de prima substantia non potest haberi cognitio aliqua, nisi ex conceptu aliquo accepto ex sensibilibus, qui non posset esse illius essentiae in se, ut patet *primò Posteriorum, et secundo et primo Physicorum*, in multis locis. Similiter diceretur, quod non possemus in illo conceptu habere nisi cognitionem obscuram et abstractivam, qualem etiam possemus habere de non ente; et sic secundum eum omnis cognitio nostra de illa substantia est tantum in universali, et obscura, et per consequens essemus beati in universali cognitione et obscura.

Quid
Philosophi
de beatitu-
dine,
ut sic, et
de nostra
quam
speramus.

3.

Et si arguatur contra eum, quod desiderium naturale hominis est ad cognoscendum illam substantiam in se et clare; ergo quandoque videbitur in se, alias esset ille appetitus in natura frustra; non valet, quia loquendo de desiderio mere naturali, debet probari quod tale insit homini; si autem accipias desiderium naturale pro actu elicito secundum rectam rati-

onem, hoc non vidit ipse, nec potuit videre alium statum secundum rationem naturalem, in quo videret clarius; nec ultra appetiit, nec scivit quod secundum rectam rationem, est plus desiderandum quam hic cognoscitur.

Additio. Contra, appeto et scio Deum, et tamen non habeo notitiam nisi confusam et obscuram de Deo; et eodem modo potest esse desiderium naturale beatitudinis secundum rationem ejus propriam. Sed appetereturne aliquid ultra confuse cognitum? Philosophus diceret quod sicut ego scio quod Sol est magis visibilis in se, quam possim ego eum videre, et quod visio aquilæ est clarior quam visio oculi mei, non tamen concluditur quod desiderarem illum videre in rota, quia non competit oculo meo, nisi quod sic tantum videam.

Sed appetisne videre amplius desiderio naturali Solem, et habere alium visum perfectiorem? Dico quod non, quod etiam diceret Philosophus, sic nec noctua naturaliter desiderat habere oculum perfectiorem, sed illum quem habet desiderat naturaliter perfici modo sibi competenti.

COMMENTARIUS.

2.
Beatitudo
vera
possibilis
est.

(e) Respondeo, primo videndum, etc. Beatitudinem veram non solum possibilem esse homini, sed in re ipsa futuram ostendit ex Scriptura. Et patet ex locis, quæ citat, et ex dictis hactenus. Deinde quærit quid diceret Philosophus de hac beatitudine vera per fruitionem et cognitionem facialem, non solum quoad esse, sed etiam quoad possibilitatem?

Quid
diceret
Philoso-
phus.

Respondet juxta principia, quæ tradidit interpretando, eum sensisse repugnare homini attingere Deum visione clara et faciali, quia negavit aliam cognitionem ha-

Tom. XXI.

beri de Deo posse pro hoc statu, quem est expertus, præter abstractam, universalem et confusam

Quod si objicias, inquit, inesse appetitum naturalem in homine ad hanc beatitudinem.

Respondet illud esse probandum, quia neque talem cognovit Philosophus, neque etiam secundum rectam rationem, quia eam nescivit, aut possibilitatem ejus. Admittit quidem Doctor talem appetitum in natura humana, sed negat ipsum esse magis notum lumine naturali, quam sit ipsa beatitudo, et ejus possibilitas nota, ut patet ex questione prima prologi, ubi fuse de hoc disserit.

De appetitu
naturali
beatitudi-
nis.

SCHOLIUM.

Sententia Doctoris, probari posse ratione, naturam humanam esse capacem beatitudinis veræ, ablata imperfectione hujus status. Probat primo, quia objectum beatificum continetur sub adæquato intellectus et voluntatis nostræ; ergo in eo tantum quietantur. Secundo, potentia inferior, scilicet sensitiva, habet notitiam intuitivam; ergo hæc competit intellectui quoad capacitatem, respectu cujuslibet contenti sic cognoscibilis sub suo adæquato, quod est ens, de quo q. 1. Prol. et 1. d. 3. q. 3.

(f) Videtur tamen mihi, quod per rationem naturalem potest probari, sublata imperfectione status istius quoad cognitionem, quod potest cognosci quod natura humana sit capax beatitudinis veræ. Primo ex parte objecti sic: Omnis potentia habens objectum primum adæquatum, potest per se in quodlibet contentum sub illo objecto. Sed primum objectum intellectus humani est ens; ergo et quodlibet, in quo salvatur ratio entis, est objectum per se ejus; sed impos-

4.
Naturali-
ter
probat
nos esse
capaces
beatitudi-
nis
veræ.

sibile est quod quietetur in aliquo, nisi in summo totius analogiæ immediate, sicut nec visus quietatur nisi in pulcherrimo visibili. Sed hoc non potest esse in cognitione ejus in universali, quia cognitio ut in universali, non est illius ut in se; ergo erit ejus ut secundum se in particulari; ergo ut sic erit capax beatitudinis.

Respondet Philosophus ad minorem, quod ens secundum analogiam quantum ad materialia et immaterialia non est objectum intellectus nostri, sed tantum ens quoad materialia. Contra, hoc destruit Philosophum, quia impossibile est cuicumque potentiæ aliquid cognoscere sub ratione communiori, quam sit ratio primi objecti; sed intelligimus aliquid sub ratione universaliori quam sit quidditas materialis; ergo impossibile est quod materialis quidditas sit primum objectum intellectus nostri adæquatum. Major est manifesta, minor patet per Philosophum, qui dicit *quarto Metaphysicæ*, quod est quædam scientia entis inquantum ens; sed ens inquantum ens, non est tantum quidditas materialis; hæc autem scientia est nobis possibilis secundum eum.

5. Si dicas, bene volo quod sit speculatio, et conceptus aliquis communior, quam sit entis materialis, tamen ille conceptus non est causatus nisi a quidditate materiali. Si sic, ergo habeo propositum, quia impossibile est felicitatem intellectus nostri esse in aliquo conceptu, qui est minus perfectus, quam sit conceptus rei sensibilis.

Sed quicumque conceptus de Deo causatus ex sensibilibus est imperfectior eis; ergo in nullo tali est beatitudo. Minorem probó, impossibile est intellectum agentem cum objecto suo causare conceptum perfectiorem suo perfecto verbo, quia realiter est effectus sibi adæquatus; sed unus effectus est adæquatus uni causæ; ergo non potest perfectiorem illo causare de Deo; et si sic, tunc ista responsio destruit Philosophum, quia ponit in perfectissima cognitione beatitudinem, et hanc ponit illius substantiæ.

(g) Secundo probó hoc ex parte actus, quia quod est simpliciter perfectionis in aliquo genere, si competit inferiori in illo genere, competit et superiori; sed cognitio intuitiva competit sensui; ergo multo magis intellectui; ergo non tantum ipsius quidditatis materialis, nec causatæ ab ea, est tantum cognitio beatifica. Præterea, si non haberemus de aliquo cognitionem intuitivam, non sciremus de actibus nostris si insunt nobis, vel non certitudinaliter (de actibus dico intrinsicis), sed hoc est falsum; ergo, etc. ergo eadem ratione qua ponis unum ens posse intuitive cognosci, et quodcumque.

COMMENTARIUS.

(f) Videtur tamen mihi, etc. Conclusio Doctoris est, seclusa imperfectione cognoscendi pro hoc statu, posse probari per rationem naturalem possibilem esse beatitudinem veram. Frustra redarguit Niphus 2. Met. disp. 3. cap. 4. Doctorem inconstantiam, quod *supra* asseruerit dist. 43.

Conceptus de Deo causatus ex sensibilibus, est imperfectior eis.

Perfectio competens inferiori, convenit superiori in eodem genere.

3. Seclusa imperfectione cognitionis probari potest possibilitas beatitudinis.

Rejicitur Niphus. 7. 2. immortalitatem animæ non posse demonstrari, hic vero doceat possibilitatem beatitudinis veræ demonstrari posse, quæ repugnant.

Explicatur Doctor. Respondetur Doctorem in priori loco agere de demonstratione convincente Philosophum, prout fundatur in principiis ab eo receptis, et secundum modum cognitionis hujus status. Hic vero, idem asserit de beatitudine attendendo ad modum imperfectum cognitionis hujus status; neque admittit demonstrationem, nisi respectu intellectus perfecti non dependentis a sensibus tantum in cognoscendo, et qui possit apprehendere naturam terminorum, ut determinant ad assensum, et se mutuo respiciunt secundum rationes proprias; eodem etiam modo admittit immortalitatem animæ demonstrari posse seclusa imperfectione hujus status, nam utrobique ratio ex se necessaria est, quamvis non cogat intellectum imperfectum, neque aliud genus demonstrationis intendit Doctor hic, ut patet ex conclusione ejus: *Sublata*, inquit, *imperfectione illius status quoad cognitionem*, etc. Patet etiam ex paragrapho præcedenti, ubi asserit Philosophum juxta imperfectum modum cognoscendi hujus status, et principia ex eo tradita, negare possibilitatem beatitudinis veræ. Aliud nempe est rationem esse necessariam et evidentem respectu intellectus concipientis terminos sub ratione propria, et non impediti. Aliud vero esse necessariam respectu intellectus impediti non concipientis terminos perfecte et sub ratione propria, ut recte Doctor asserit de propositione per se nota in 1. dist. 2. quæst. 2. nam in tali intellectu impedito, sicut non est cognitio perfecta terminorum aut principiorum, ita neque conclusio est ei necessaria, quæ alioquin in se necessaria est, et respective etiam ad intellectum non

impeditum. Et sic loquitur Doctor hic de ratione necessaria, neque *supra* aliter docuit de immortalitate animæ, nam eadem ratione, qua hic probat possibilitatem beatitudinis veræ, *supra* contra Philosophos probat immortalitatem animæ, et abstractionem ejus a materia; sumit ergo demonstrationem aliter hic, et aliter loco præmisso. Et quamvis hic admittat ratione necessaria probari posse beatitudinis veræ possibilitatem, intelligit hoc respective tantum ad intellectum illuminatum, et non impeditum, non vero respective ad intellectum ligatum sensibus juxta modum cognoscendi hujus status, et existentem in puris naturalibus, quia respectu hujus non esset ratio necessario, sicut neque respectu Philosophi, ut ipse dicit. Quo sensu etiam intelligenda sunt quæ disserit in *quæstione secunda hujus distinctionis*, ut ubi notavimus contra Suarez, qui melius interpretari posset sententiam quam imponit Doctori ex hac conclusione; sed neque hic asserit Doctor veritatem hanc probari ratione naturali, nisi seclusa imperfectione hujus status quantum ad modum cognoscendi. Unde per ipsum constat non demonstrari ab intellectu dependente a sensibus in cognitione, sed sciri tantum per revelationem, non solum beatitudinem veram fore quantum ad eventum, sed etiam quantum ad possibilitatem, probari tamen posse ab intellectu perfecto, qualiter autem dicetur. Eum sequitur Vasquez 1. 2. disp. 20. cap. 2. Inclinat Conrad. 1. 2. q. 5. art. 1. et pro ea citari solet D. Thomas 1. 1. quæst. 12. art. 1. de verit. quæst. 8. art. 1. lib. 3. contra Gentes, cap. 51. ubi Ferrarien. admittit visionem Dei ut primæ causæ, probari posse lumine naturali possibilem.

Probat Doctor conclusionem ex illo principio, quod adducit *quæstione prima Pro*

4. Probatio conclusionis.

Propositio per se nota.

logi in favorem Philosophorum contra necessitatem doctrinæ revelatæ. Omnis potentia habens objectum primum adæquatum potest in quodlibet contentum sub objecto per se; sed ens ut commune Deo et creaturis, est objectum primum intellectus; ergo potest in omne contentum sub ente, et consequenter in perfectissimum, alioquin non quietatur ejus appetitus, nisi attingat illud.

Responsio. Dices cum Philosopho, ens ut est commune tantum materialibus, esse objectum primum et adæquatum intellectus.

Impugnatur. Contra, quia objectum habitus non excedit objectum potentiæ; ens autem ut sic est objectum Metaphysicæ, ex Philosopho 4. *Met. text.* 1. ergo, etc.

Responsio. Dices conceptum communem entis esse quidem objectum terminativum intellectus, non tamen motivum; sed ens sensibile aut materiale, et per abstractionem perveniri ad ens ut sic. Illud autem in quo consistit beatitudo intellectus debet esse motivum ejus.

Impugnatio. Contra urget Doctor: Impossibile est beatitudinem intellectus consistere in aliquo conceptu imperfectiore, quam sit conceptus rei sensibilis; conceptus autem causatus de Deo ex re sensibili est imperfectior, quia effectus nequit excedere causam suam, quæ in proposito est intellectus cum cognitione de re sensibili, quæ cognitio est effectus ejus adæquatus secundum perfectionem virtutis; ergo nequit perfectiorem causare de Deo.

Si autem dicas posse causare perfectiorem, tunc destruitur responsio data, quæ limitat perfectionem et attingentiam intellectus ad motivum desumptum ex se sensibili, quatenus aliter nequeat attingere Deum nisi per hoc medium. Unde ipse Philosophus statuens felicitatem intellectus in perfectissima cognitione substantiæ primæ, recedit ab

illa ratione, qua probaretur impossibilitas beatitudinis veræ ex imperfecto motivo intellectus nostri pro hoc statu.

Vis ergo hujus rationis in hoc consistit, ideo repugnaret intellectui cognitio Dei sub ratione propria, quia hæc cognitio excedit perfectione medii et motivi intellectus, quod est res materialis; ergo hoc dato omnis cognitio excedens perfectionem hujus motivi repugnat intellectui; ergo in nulla tali statuenda est felicitas intellectus. Consequens est contra ipsum Philosophum; ergo falsum est antecedens, nempe motivum intellectus esse quidditatem rei sensibilis, aut felicitatem intellectus statuendam esse in aliqua cognitione, quæ solum habeatur ex motivo rei sensibilis tanquam ex causa.

Confirmatur: Omnis potentia quietatur in suo per se motivo, aut aliquo perfectissimo sub tali motivo; sed appetitus non quietatur in quidditate rei sensibilis in communi, aut in particulari sensibili; ergo non est per se motivum intellectus. Major patet, quia potentia passiva reducitur ad actum, ad quem inclinatur per adæquatam suam causam, et quo magis assimilatur agenti adæquato, eo perfectius reducitur ad actum; mensura enim actus aut perfectionis in potentia passiva, est virtus agentis, ut nata est exerceri in potentiam, aut subjectum. Nulla autem causa efficiens continet in virtute sua effectum perfectiorem, quam sit ipsum *esse* causæ formale, quin imo perfectio virtutis, et effectus designatur in eo quod est effectum ipsum maxime assimilari causæ; sed intellectus respectu sui motivi adæquati est potentia passiva; ergo ex natura sua ad nullum intelligibile magis inclinatur quam ad suum motivum adæquatum ex natura potentiæ, et quo magis ipsi assimilatur, eo magis et perfectius reducitur ad actum, et ac-

Vis rationis declaratur.

Redargutio Philosophi.

5. Confirm.

Non quietatur intellectus in aliqua cognitione causata ab ente materiali.

cedit ad mensuram suæ perfectionis in quantum perfectibilis est; ergo, etc.

Minor principalis probatur, quia appetitus intellectus nequit quietari in aliquo ente, tanquam fine objectivo, quod est inferius ipso intellectu, quantum ad perfectionem et *esse*; talis est quidditas materialis et rei sensibilis; ergo nequit quietare appetitum intellectus ad felicitatem tanquam finis. Idem patet, quia intellectus nequit quietari in aliquo, quod est extra rationem suæ per se causæ, quia nihil aliud potest esse terminus quietativus suæ inclinationis, nisi illud a quo recipit tantum suum *esse*, et inclinationem, et ejus ipsa est participatio; ille est solus Deus, non secundum rationem communem sibi et aliis, sed secundum rationem particularem sibi propriam; ergo appetitus intellectus non satiatur nisi in Deo sic cognito. Probatur consequentia, quia inclinatio intellectus est ad cognitionem entis et veritatis, et ad prima principia incomplexa, et altissimas causas, ut admittit ipse Philosophus, hac ratione docens Metaphysicam esse perfectissimam scientiam et certissimam, et felicitatem nostram esse in contemplatione maxime primæ substantiæ. Patet etiam experientia, quia intellectus non sistat in cognitione inferiorum, sed per varias collationes et discursus, et abstractiones tendit ex inferioribus ad superiora, reducens principia et veritates, quas cognoscit de inferioribus, seclusis imperfectionibus, et incertitudine ad primas veritates, in quibus per se sistit, et maxime in prima rerum causa et fine. Per oppositum hujus sensus sistit in cognitione rei sensibilis, quæ est motivum ejus adæquatum; ergo non est motivum adæquatum intellectus, neque immediatum et perfectissimum ut inclinatur ad suam beatitudinem formalem et objectivam; tum quia superiori potentiæ,

ut est nata reduci ad actum perfectissimum, in quo quietatur, debet assignari motivum superioris ordinis et perfectionis; tum quia ipsa experientia constat, et communi sensu Philosophorum sapientum, qui magis ad veritatem accesserunt, intellectus perfectionem non consistere in adhæensione ad sensibile objectum, et hanc esse infirmam cognitionem intellectualem, in qua communicat cum cognitiva inferioris ordinis et gradus. Unde sequitur cognitionem sensibilibus non solum non esse perfectissimam, ad quam inclinatur intellectus, sed ad usum et occasionem servire, ut ad perfectiorem assurgat. Vide quæ dicta sunt *d. 1. q. 2. quarti.*

Dices hoc verum esse quantum ad inclinationem potentiæ, quæ respicit primum ens in quo quietatur, tamen ex imperfectione virtutis intellectivæ, et mediorem cognoscendi, limitari ejus inclinationem passivam et appetitum ad hoc genus cognitionis solum, quod haurit ex materialibus tanquam rationibus, ex quibus consurgit. Unde illa comparatio intellectus nostri satis frequens cum oculo noctuæ, ut respicit Solem, et inclinatur ad ejus visionem, quod tamen non appetit videre aliter quam est conveniens ipsi. Neque etiam oculus noster appetit videre Solem, quia in se visibilis est, magis quam ferat acies pupillæ; sic ergo intellectus se habet ad Deum, et ejus cognitionem servata proportionem ad media, per quæ tantum natus est reduci ad actum, quo attingit Deum per viam sensus, procedendo per abstractionem.

Contra primum, assumendo instantiam, licet illa comparatio teneat, si comparetur cognitio vilissima nostri intellectus ad cognitionem, quam Deus habet de seipso quantum ad excessum perfectionis, quæ major est sine proportionem; vel si comparetur etiam cognitio nostra pro hoc statu

6. Responsio. Improprio intellectus ex mediis imperfectis.

7. Impugnatio.

ad cognitionem alterius vitæ de Deo, tamen non concludit propositum, quia oculus nocturne in ordine ad visibile excedens, sicut etiam noster oculus mortalis ad Solem, qua in se visibilis est, inclinatur secundum temperamentum organi in gradu quo congruit ipsi temperamento, ne offendatur, aut diffluat; nam omnis potentia ad actum secundum, ut est perfectio sua, ita inclinatur, ut conservetur actus primus, et non corrumpatur, sicut organum corrumpitur per visibile excedens temperamentum, et mediam qualitatem organi. Sed non ita contingit in intellectu, quæ est potentia non organica, et quo perfectius attingit primam substantiam, eo magis illuminatur et vigoratur, in quo non est comparatio ejus ad sensum, et proinde instantia quoad hoc non est ad propositum.

8. Impugnatur ratio responsionis.

Potentia non excedit motum proprium, et adæquat.

Ens sensibile non esse primum, aut adæquat motum intellectus.

autem non est aliud quam ipsa prima substantia, nam quod est ultimum perfectivum extrinsecum potentiæ, cui adhæret per operationem, erit etiam motivum ejus, quia nihil aliud continet virtute illam operationem, in qua ultimate quietatur intellectus. Quod confirmat processus intellectus abstrahens a materialibus, quia ideo ab iis abstrahit, quia in illis non invenit motivum sufficiens, quo reducat in actum perfectissimum suum; ergo ex necessitate attingendi motivum proximum et immediatum talis operationis intellectus, abstractio, reflexio, et cæteri discursus et collationes fiunt, quorum nullus esset usus, si in ente sensibili et materiali applicaretur ei motivum sufficiens et adæquat.

Cur fit abstractio.

Quod autem dicitur intellectus inclinationem contineri per media sensibilia, et limitari, ita ut aliter non inclinetur ad ultimam beatitudinem sui, nisi ut haberi potest per talia media, et hoc ex imperfectione virtutis intellectivæ, improbatur, quia hæc imperfectio non est ex natura potentiæ, sed ex defectu motivi sufficientis pro hoc statu, ut constat ex inclinatione eadem potentiæ, tam elicitam quam innatam, quando per aliud medium superioris ordinis illustratur, ut per lumen fidei, aut propheticum, et revelationis, ut constat. Sed quoniam hoc ignotum fuit Philosophis, quibuscum disseritur, alio medio utendum est. Philosophus 1. Ethic. cap. 7. *Finis perfectus*, inquit, *simpliciter est, qui propter se semper, et nunquam ob aliud est. Item, perfectum bonum est, quod per se est sufficiens; sufficiens autem per se illud esse ponimus, quod solum a cæteris segregatum expetibilem vitam facit, reique nullius indigentem. Hujusmodi autem felicitatem existimamus esse*, etc. et lib. 1. cap. 2. asserit cum Platone, *summum bonum per se, et nullo*

9. Ratio desumpta ex mediis impugnatur.

Impugnatur Philosophus.

Philosoph.

addito tale esse, et non fieri expetibile propter additum alterius boni, etc. Quibus suppositis, sic argumentor: Idem est motivum et beatificativum intellectus, nam illud solum est motivum, quod virtute continet operationem, per quam adhæret, et in qua consistit ejus felicitas; ergo non ex natura intellectus provenit quod illud motivum non posset attingere immediate, sed ex defectu applicationis, quod si applicari potest immediate, et seipso reducit intellectum ad actum, quia est bonum simpliciter et sufficiens, et propter se bonum intellectus; ergo virtute continens operationem, ad quam intellectus est in potentia, ut perfectibilis per felicitatem. Neque per aliud objectum inclinatio passiva ejus potest reduci ad actum, et probatur, perfectissimum et sufficiens motivum seipso immediate, et non per aliud natum est reducere ad actum potentiam passivam, quam immediate seipso respicit. Sed tale motivum respectu intellectus, ut beatificabilis est solus Deus; ergo potest immediate seipso movere intellectum secundum inclinationem intellectus ad ipsum. Probatur consequentia, quia nulla est repugnantia, aut impedimentum ex parte intellectus ex natura potentiæ, quin sic moveri possit, quia non obstat dependentia a sensu, v. g. in anima separata et immortalis, et ex iis quibus superius probatum est animam esse spiritualem et independentem a materia. Et patet etiam ex præmissis, quibus ostensum est motivum intellectus adæquat non esse ens sensibile aut materiale; ergo ex parte potentiæ non est repugnantia, quin moveri possit immediate a prima substantia, in qua sola quietatur.

Motivum sufficiens, et perfectum.

Seipso actuare potest potentiam passivam.

Non est repugnantia ex parte potentiæ ut moveatur a Deo.

10.

Uterius, quod possit moveri etiam ad operationem, quæ sit ipsius sub ratione

propria et perfecta, probatur quia appetitus intellectus non quietatur in ipso, nisi ut est summum bonum sufficiens et completum seipso, nullo alio addito, sed hæc ipsi competunt sub ratione sua propria et particulari ergo sic tantum quietatur intellectus, et beatificatur. Hunc autem conceptum seu operationem nequit intellectus habere per aliud motivum extraneum ipsi; ergo, etc. Major admittitur a Philosopho, et minor. Probatur consequentia, quia appetitus intellectus nequit quietari nisi in summo ente; quia ens tale est positive, et sub ratione propria nullo alio superaddito, sicut enim inclinatio potentiæ est ad operationem, qua est beatitudo formalis ejus et forma positiva, et unit perfectivo extrinseco; sic etiam non beatur in perfectivo extrinseco, nisi ut illud positive se habet quoad se, et sic unitur intellectus, quia appetitus intellectus non est ad aliud quod negativum, aut negationem, sicut et nullus appetitus est ad negationem, ut ad perfectionem, quia sicut negatio non est ens, ita etiam non dicit differentiam entis, qualis est perfectio; ergo appetitus intellectus non satiatur in summo ente per conceptum negativum ejus quo concipitur tantum per remotionem imperfectionis, quæ est in aliis, et ipsi repugnans, quia sic summum ens non seipso, sed in addito, vel per additum ex negotiatione intellectus imperfecte concipientis beatificaret, non vero qua ens est, et qua primum ens dicit perfectionem propriam, quam ex tali conceptu negativo non attingit intellectus sub ratione propria et positive, sed in ratione extranea et negativa. Patet ergo ratio hæc Doctoris, per quam tantum contendit Deum sub ratione propria attingi posse per intellectum, licet non per media sensibilia, aut ex sensibilibus; sub ratione, inquam, propria, vel intuitive,

Moveri posse ad visionem.

Appetitus intellectus non quietatur in negativo.

Perfectio est differentia entis. Primum ens sub ratione positiva beat.

vel abstractivae modo cognitio abstractivae sit Dei sub ratione propria.

11. 2. Ratio Doctoris. Dari posse cognitionem propriam Dei abstractivam.

(g) *Secundo probo, etc.* Hæc est secunda probatio conclusionis, quæ complet priorem probationem, velut subsumpta, quia quod intellectus feratur in Deum sub ratione propria, non inde habetur juxta plurimum Doctorum sententiam, quod feratur intuitive, nam plures docent dari posse notitiam Dei sub ratione propria abstractivam, ut noster Doctor in 2. d. 3. q. 9. § *Hac distinctione præmissa*, quem sequuntur reliqui nostræ Scholæ, et Major *quæst. 5. conclus. 5. et in prologo q. 3. Occhamus q. 1. art. 5. Gabriel art. 3. conclus. 1. Aliacus quæst. 1. art. 2. Capreolus in 2. dist. 23. q. 1. art. 3. Ad argumenta Scoti, Molina 1. part. q. 1. art. 2. disp. ult. § Ex his duabus sententiis*, Salas etiam 1. 2. tract. 2. q. 3. disp. 3. sect. 1. et 7. negat præmissam consequentiam. Vasquez etiam 1. p. dist. 134. c. 3. admittit notitiam Dei, quamvis per impossibile non esset ejus ut præsentis et existentis fore beatificam, quia repræsentaret Deum sub ratione infiniti, licet ipse *ibidem* revocet talem notitiam ad intuitivam; tamen esset alterius rationis ab intuitiva, de qua modo agimus, ut est Dei in se ut præsentis et existentis exercite ad potentiam videntem.

12. Deum posse videri intuitivo ab intellectu creato.

Probat ergo Doctor videri posse Deum intuitive perfecte ab intellectu creato, quia quod est perfectionis simpliciter in aliquo genere, si competit inferiori in illo genere, competit et superiori in eodem genere; sed cognitio intuitiva convenit sensui, quæ est potentia infima in genere cognitivæ; ergo multo minus convenit intellectui, ut quietatur in suo objecto perfectissimo. Deinde, probat intuitivam convenire intellectui ex natura potentiæ, quia alias non esset in nobis cognitio

experimentalis de actibus internis nostris, quod voluntas nunc velit hoc objectum, nunc non velit, etc. Sed non est major ratio cur intellectus noster sit intuitivus respectu unius quam alterius; ergo maxime est intuitivus quantum est ex natura potentiæ respectu objecti perfectissimi, in quo nata est beari. Probatur consequentia, quia beatitudo est operatio perfectissima potentiæ; ergo quantum ad modum perfectissimum cognoscendi, est statuenda in visione, et non in cognitione abstractivae.

Huc revocari possunt quæ præmissa sunt *hic et quæstione secunda hujus distinctionis*. Quamvis autem ratio hæc sit necessaria respectu intellectus illustrati per fidem, qui cognoscit possibilitatem visionis, et prout de facto contingit, non est simpliciter convincens respectu Philosophi, quia neque ex cognitione, quam habemus de facto ipsius intellectus creati, per modum cognoscendi naturalem hujus status. Itaque minus evidens est secunda hæc probatio, seu subsumptum, et ratio est, quia etiam ex natura rei, virtus intellectus creati ad videndum Deum est in genere potentiæ inchoata tantum, neque ex naturalibus suis, aut aliis mediis notis solo lumine naturali, potest attingere Deum per visionem intuitivam; ex causa autem remota et inchoata non sufficienter deducitur possibilitas effectus, neque etiam cognoscitur ordo ipsius ad effectum, qui dependet ex mediis supernaturalibus. Ideoque non concedit Doctor eam esse necessariam respectu Philosophi, sed tantum suasionem veritatis, quamvis respectu intellectus illustrati sit ratio necessaria, qui apprehendit terminos perfecte. An autem intellectus separatus Angeli aut animæ posset ex solis naturalibus seclusa revelatione attingere hanc veritatem, mihi satis du-

Intellectus cognoscit intuitive.

Qualis est efficacia hujus rationis.

Ex causa remota, et insufficienti non concluditur necessario.

bium est, quod *infra* magis apparebit *conclusionem* 2. quia effectus dependens a Deo agente supernaturaliter, non videtur posse attingi solo lumine naturali intellectus. Quantumlibet ergo hæc ratio non sit necessaria positive contra Philosophum, potest dici necessaria negative, quatenus ostendit intellectum attingere posse aliquam operationem beatificam, quam non potest habere ex motivo entis sensibilis aut materialis, et hoc sensum posse attingere perfectius Deum, quam ut fert cognitio desumpta a sensu, aut ab ipso dependens.

13. Declaratur in specie vis præmissarum rationum.

Addo tamen quod rationes sunt in re ipsa demonstrationes respectu intellectus perfecte concipientis terminos, v. g. eæ rationes quæ concludant de proprietatibus primi entis respectu intellectus beatorum, ut *infra* Doctor loquitur de Theologia beatorum *quæst. 3.* Aliæ rationes sunt demonstrationes respectu animæ separatæ et Angeli, quibus demonstratur perfectionem nostram secundum intellectum excedere modum cognoscendi hujus status; sic intelligenda est limitatio Doctoris, *sublata imperfectione*, etc. Tertio denique, respectu intellectus illustrati etiam in via supposito lumine fidei, rationes illæ sunt certissimæ, et excedunt genus probabilitatis, et sunt scientificæ eo modo quo sumitur scientia a Philosopho in 6. *Ethic c. 4.* pro cognitione certa excludente dubitationem, et excedente opinionem. Quarto, respectu Philosophi, ut subest errori pravæ dispositionis vel nescientiæ, non convincunt determinate, sed solvunt rationes naturales quasque in oppositum, probabiliter suadent veritatem, et sic loquitur Doctor *supra*, et in *Reportatis dist. 49. quæst. 7.* easdem in *prologo quæst. 1.* vocat eo sensu probabiles rationes. Quinto denique, indeterminate probant alteram partem

hujus contradictionis, *fruitio est ultimus finis, fruitio non est ultimus finis*, esse necessario sciendam. Quod probat prima Demonstratio moralis.

ratio et secunda, ut intellectus non sit dubius aut suspensus circa finem, quia impediretur ejus assecutio; affirmativam autem partem concludunt tantum ex creditis, ita Doctor *quæst. illa 1. prologi num. 24.* et hæc est demonstratio moralis supponens necessariam esse cognitionem determinatam beatitudinis finalis, et eam esse sequendam, quæ est communis assertio et instinctus Philosophorum, quibus suppositis debet tolli dubitatio et ignorantia practica ab intellectu circa illud problema: *An fruitio sit finis, vel contrarium*. Et sic procedit Philosophus *primo Ethic. cap. 1.* laudans quod veteres dixerunt bonum ipsum esse quod omnia appetunt, et aliquem finem in omnibus appetendum, *cap. 2.* quod unus finis sit, propter quem reliqui appetuntur: *Neque enim fit, inquit, ut omnia propter aliud expetamus; esset enim hoc modo sine ullo fine progressus, atque noster appetitus inanis esset et vanus*, etc. nempe finis appetitus, si non daretur unus finis, in quo esset quiescendum; *cap. 3.* de modo procedendi ad investigationem felicitatis; *cap. 4. et sequentibus usque ad nonum*, de varietate finium, et sententiis aliorum, quas refutat, deinceps de modo assequendi ejus, etc. Unde liquet necessarium esse agenti propter finem et felicitatem, scire, an hic sit finis vel non. Rationes autem positæ ut solvunt rationes Philosophorum, et applicant generalia principia, probando Philosophos errasse, neque attigisse veritatem, et aliam esse felicitatem investigandam, reddunt opinionem Philosophorum de felicitate dubiam et incertam. Spectato etiam lumine naturali, sic probant demonstrative et practice alterum illius contradictionis esse necessario sciendum.

Processus Philosophi investigantis beatitudinem.

Agenti propter finem necessaria est ejus cognitio.

SCHOLIUM.

Nullam naturam homine inferiorem esse simpliciter beatificabilem, quia non potest attingere objectum immateriale; habentia tamen operationes sensitivas esse secundum quid beatificabilia, quid per suos actus suo fini, seu suo optimo junguntur; quæ vero carent operationibus, neutro modo beatificari possunt.

6. (h) Secundo videndum est quod nulla natura inferior natura humana est simpliciter beatificabilis. Cujus ratio est, quia nulla natura est beatificabilis, nisi quæ potest attingere objectum immateriale; sed nulla natura inferior natura humana potest hoc; ergo, etc.

Dico tamen, quod aliqua natura inferior humana est beatificabilis secundum quid, ut omnis natura, quæ per suam operationem potest suo fini immediate conjungi, et sic suo optimo, non optimo simpliciter. Sed omnia habentia operationes proprias et immanentes, ut sensus, possunt conjungi suo optimo; ergo sic possunt beatificari, licet non simpliciter.

Præterea, quod non conjungitur meliori se, non potest beatificari, nec beatificatur simpliciter; sed nulla natura inferior homine conjungitur suo optimo tanquam meliori se; ergo, etc. Probatio minoris: potentia quæcumque operativa est animati, ut animatum est; sed objecta materialia, ut sunt qualitates sensibiles secundum se, non sunt perfectiores animato, ut animatum est; ergo ipsæ potentiæ sunt meliores objectis.

Ex hoc sequitur corollarium, quod illa quæ non habent potentiam operativam, non sunt simpliciter, nec secundum quid beatificabilia, quia non habent operationem conjungentem cum suo optimo; sed in operatione consistit beatitudo, et alia etiam tantum factiva sunt, non operativa, quia non habent operationes immanentes eis, et tales formæ sunt omnes formæ sub sensitiva.

Et si objicias quod grave movet se ad centrum, et quietatur in centro, dico quod est verbum metaphoricum dicere quietari ipsum in centro, habet enim tantum actionem, quæ est motus gravis, non tamen circa centrum habet operationem, et ideo non conjungit se centro; tamen supposito quod sic, hoc non est nisi causatio alicujus ubi naturalis, non alicujus formæ absolutæ; ergo non est beatitudo, quæ est forma absoluta. Dico igitur quod homo est beatificabilis simpliciter, et nihil aliud eo inferius.

(i) Ad argumenta. Ad primum, consequentia non valet, quia anima est pars hominis beatificabilis, et immediate susceptivum beatitudinis, et per consequens tota natura est susceptivum mediatum, non immediatum, quia anima est aliquid hominis.

(k) Ad secundum dico, quod omnis natura intellectualis immediate ordinatur ad attingendum finem, ordine tamen quodam, ita tamen quod una est perfectior alia, et omnes tamen immediatæ non ordinatæ, ita quod una sit alterius medium, quo attingat ulti-

Quæ carent omni operatione, licet habeant factiones, nec secundum quid beatificari possunt.

Quietari in centro, non est operatio.

Ad arg. 1.

Ad 2.

COMMENTARIUS.

Ad 3. mum finem; omnis enim intellectus habet pro objecto totum ens, et sic non quietatur in quacumque substantia, vel ente, sed solum in ente optimo, sicut patet de visu; clarius enim et perfectius videt aquila Solem quam homo, tamen immediate utrumque videt Solem.

(l) Ad illud de violentia perpetua, dico quod quietatur non quiete beatifica, quia non in optimo simpliciter.

(m) Ad aliud de fine, dico quod finis accipitur multipliciter; quandoque accipitur pro causa finali; quandoque pro perfectione ultima, ad quam res ordinatur; quandoque pro optimo, quandoque pro ultimo.

Hi duo modi ultimi non faciunt ad propositum. Primo modo Deus est causa finalis omnium, et hoc non aliter, nisi sicut propter quem amatæ sunt res. Deus enim omnia producit propter seipsum, et sic est finis immediatus omnium, ut propter se et a se, non ad se, ut ad finem immediatum; sed sic non loquimur hic de fine, sed secundo modo, scilicet de perfectione ultima, ad quam res ordinatur, et hoc modo non est Deus nisi causa finalis; non enim est Deus beatitudo formaliter, licet propter se det beatitudinem. Et ex hoc patet quod ille circulus, quem ponit Proclus, quod omnia redeunt ad primum principium reditione completa, est congruus in arguendo; ergo variatus finis. Potest tamen dici, quod Deus est finis in quantum terminat operationes creaturæ beatificabilis.

(h) Secundo videndum est, etc. Est secunda conclusio respondens quæstioni titulari, nempe nullam naturam inferiorem humana posse attingere beatitudinem simpliciter, aut beatificabilem esse, quia nequit esse beatitudo simpliciter, nisi respectu objecti immaterialis; nulla autem natura inferior humana potest attingere objectum immateriale. Subjungit Doctor alteram partem conclusionis, nempe beatificari secundum quid potentias sensitivas, quæ per operationes immanentes conjunguntur suo optimo extrinseco, quæ pars magis verificatur in homine quam in bruto, quia in statu gloriæ et corporis assumpti erit etiam in sensu quædam beatitudo secundum quid, et proportionata suæ capacitati.

Secundo probat conclusionem principalem, quia nulla alia natura inferior homine conjungitur meliori se, quia omnis natura animata anima sensitiva perfectior est objecto materiali sensibili, quod respicit.

Tertio deducit quod illa, quæ non sunt sensibilia, neque simpliciter, neque secundum quid, beatificantur, quia beatitudo consistit in operatione conjungente suo optimo extrinseco objecto; illa autem nullam habent operationem talem.

Si objicias: Lapis quiescit in suo centro, aut grave.

Respondet hoc metaphorice dici, quia nullam habet operationem aut actionem circa centrum, et ille motus ejus ad centrum est tantum respectu ubi naturalis.

Concludit tandem intentum, scilicet hominem esse beatificabilem simpliciter, et nihil aliud homine inferius, quod do-

14. 2. Conclusio. 1. Probatio. Qualis est beatitudo secundum quid.

2. Ratio.

Nulla est beatitudo non sensitivi.

Objectio.

Responsio.

Nihil inferius homine est beatificabile.

Bruta beatificantur secundum quid.

Potentia tantum in optimo contento sub suo objecto quietatur.

Ad 4. Deus est causa finalis omnium, sed non finis 1. ultima perfectio obtinenda per operationem. Prop. 35. De hoc circulo vide 1. d. 1. q. 1. in opin. Avic.

cuit Philosophus 1. *Ethic. c. 8. et 9.* Augustin. *lib. 83. qq. et Nyss. in libro de beatitudinibus*; patet eiam ex hactenus dictis.

15. Ad arg. ad 1. (i) *Ad argumenta. Ad primum*, etc. Hoc fuit, quod anima esset capax beatitudinis; sed ipsa inferior homine, etc. ergo, etc.

Responsio. Respondet animam esse partem hominis, et immediatum susceptivum beatitudinis, et consequenter tota natura ut quod est susceptivum beatitudinis, anima ut quo.

Ad 2. (k) *Ad secundum dico*, etc. Hoc fuit, quod inter Angelum et hominem est ordo essentialis, et Angelus immediatius se habet ad Deum; ergo immediatius attingit beatitudinem, nempe Deum, et consequenter homo mediante Angelo.

Responsio. Respondet, quod utraque natura immediate ordinatur ad finem, et omnis intellectus objectum immediatum est ens licet perfectionis ordo inter naturas spirituales servetur inter se, non tamen ad finem. Exemplum: Aquila clarius videt Solem quam homo, uterque tamen immediate attingit, et non medio altero.

Ad 3. (i) *Ad aliud*, etc. Hoc fuit tertium: Aliæ naturæ inferiores homine ultimate quietantur, quia alias essent in statu violento; ergo sunt capaces beatitudinis.

Responsio. Respondet ens quietari alia quiete diversa a quiete beatifica per operationem.

Ad 4. (m) *Ad aliud, de fine dico*, etc. Hoc fuit quartum argumentum: Causæ primæ universalissimæ respondet finis ultimus universalissimus; sed Deus est causa efficiens immediata omnium, ergo erit finis immediatus omnium; ergo, etc.

Responsio. Respondet quod finis multipliciter sumitur, aliquando pro causa finali; aliquando pro perfectione ultima, ad quam res ordinatur; aliquando pro optimo; aliquando pro ultimo. Hi duo ultimi modi non faciunt ad propositum.

Respondet resolute Deum esse finem ultimum juxta præsens institutum, quatenus est perfectio ultima objectiva, ad quam natura spiritualis ordinatur. Quod autem asserit Deum esse finem operationum beatificantium, intelligit de fine ut objecto. An sic actiones elicite immediate circa finem sint propter finem, Doctores variant, sed est quæstio magis de nomine quam de re, quia secundum diversam acceptionem finis.

Resolutio.

QUÆSTIO IX.

Utrum omnes homines velint de necessitate et summe beatitudinem?

D. Thom. 1. 2. quæst. 5. art. 8. et 1. part. quæst. 12. art. 1. et de malo quæst. 6. art. 1. Henric. quodl. 3. quæst. 7. D. Bonavent. hic art. 1. quæst. 2. Richard. art. 2. quæst. 1. Durand. quæst. 8. Palud. quæst. 7. Soto quæst. 1. art. 1. et de nat. et grat. cap. 4. Vasquez 1. 2. disp. 22. Vide Scol. 9. Metaph. quæst. 15.

Utrum (a) omnes homines velint de necessitate et summe beatitudinem? Videtur quod non, quia secundum Augustinum 10. *de Trinitate*, cap. 1. incognitum non potest appeti. Sed ultimus finis non est notus, quia non omnes sciunt beatitudinem; ergo non omnes appetunt eam. Minor patet 1. *Ethic.* ex diversa opinione circa eam.

Præterea, damnati non appetunt eam; ergo non omnes homines. Consequentia patet; antecedens probatur dupliciter, primo sic, de quo desperat aliquis, non appetit illud, vel tenuiter appetit, ut dicit Augustinus 10. *de Trinitate*; sed damnati desperant de beatitudine, quia sunt obstinati; ergo, etc. Secundo sic: Appetitus voluntarius

1. 1. Arg. 1. Vide D. Thom. dist. præsent. art. 1. q. 3.

Arg. 2.

Cap. 1.

non est ad impossibile; sed apprehenditur beatitudo a damnatis ut impossibile ab eis; ergo, etc.

Ad principale, si omnes de necessitate appetant beatitudinem, non merentur appetendo eam; consequens est falsum, ergo et antecedens. Consequentia probatur per Augustinum *de libero arbitrio*, ubi dicit quod nullus meretur in eo quod vitare non potest. Falsitas consequentis probatur, meremur volendo ea quæ sunt ad finem; sed volitio finis est causa volitionis eorum quæ sunt ad finem; ergo magis volendo finem, quia propter quod unumquodque tale et illud magis, primo posteriorum et secundo Metaphysicæ.

Text. 5. Text. 4.

Præterea, quod non summe, illa potentia non vult summe objectum aliquod, quæ compatitur secum actum aliquem circa aliud objectum, quia distractio ad diversa facit remissionem in actu; sed beatitudo in voluntate compatitur secum actum, qui est uti; ergo non summe vult beatitudinem.

Contra, Augustinus 13. *de Trinitate*. cap. 8. *Beati omnes esse volunt, ut veritas clamat*. Sed si aliquis, vel omnes vellent contingenter eam, hoc non esset verum, quia tunc aliqui possent non velle; ergo de necessitate volunt eam omnes homines.

Text. 89. cap. 12.

Præterea, quod summe, videtur dicere Augustinus *ibidem* cap. 5. ubi dicit quod ardentissime beatitudinem omnes volunt. Præterea 2. *Physicorum*, et 7. *Ethicorum* dicit Philosophus: *Sicut principium in speculabilibus, sic finis in practicis*; sed

intellectus necessario assentit principiis; ergo voluntas fini.

Præterea, Anselmus *de concordia prædestin. et gratiæ cum libero arbitrio*, cap. 21. dicit quod voluntas non potest non velle summe commodum; sed beatitudo est summe commodum; ergo vult necessario eam. Præterea, quod summe, Philosophus 1. *Ethicorum*, dicit quod bene dixerunt bonum esse, quod omnia appetunt, hoc est beatitudo. Ex hoc potest argui, igitur magis bonum illud omnia magis appetunt; sed beatitudo est hujusmodi bonum; ergo, etc.

Cap. 26. Idem de casu diaboli cap. 4. Cap. 1.

COMMENTARIUS.

(a) *Utrum omnes homines velint*, etc. Hic subjungit argumenta pro utraque parte hujus questionis. Deinde, subjicit aliam huic connexam, quæ est in ordine decima: *An scilicet omnia quæ appetuntur, appetantur propter beatitudinem*. Utramque quæstionem suo ordine resolvit.

SCHOLIUM.

Hæc quæstio disputatur et resolvitur late quæst. seq. a num. 2. et argumenta hic posita solvuntur ibi a num. 11.

QUÆSTIO X.

Utrum omnia, quæ appetuntur, appetantur propter beatitudinem?

D. Thom. 1. 2. quæst. 1. art. 6. (ubi Cajet. Conrad.) et hic quæst. 1. art. 3. Durand. 2. q. 38. q. 4. Vasq. 1. 2. disp. 6. cap. 2. et 3. et citati pro q. præced. Vide Doct. 9. Metaph. q. 11. et in Theorem. § Non potest probari hominem esse ordinatum.

Juxta hoc quæritur, utrum omnia quæ appetuntur, appetantur

Arg. 1.